5

DE UTILITATE

QUAM

POETAE EX PICTURARUM

ET

SIGNORUM COGNITIONE

CAPERE POSSUNT

ORATIO

HABITA VICETIAE

A

CAROLO BOLOGNA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

JO. JOSEPHO CAPELLARI

EPISCOPO VICETINO

CAROLUS BOLOGNA

Prodit haec oratio Te primum ad Ecclesiam Vicetinam accedente. Quo tempore magis fausto et felici potuit exire, quam quum ingenti omnium nostrum laetitia Tu Episcopus sanctitate morum, singulari doctrina, eximia prudentia, vigilantia, bonitate spectatissimus merito in tantae amplitudinem dignitatis ascendis? Haec porro

eadem oratio Tibi sistitur a Vicetino Seminario; quod bonarum artium domicilium ad Te maxime et proxime pertinet, quodque Tu literarum, et eorum, qui de literis benemereri cupiunt, in primis studiosus non potes praecipua benevolentia non prosequi. Ominibus igitur valde bonis ad Te venit oratio mea, et Te auspice publicam lucem non reformidat.

Fuit ab antiquis jam inde temporibus hominum de bonis artibus praeclare meritorum ea cura, ut sedulo investigarent, ostenderent, praeciperent, quae poetis viam patefacerent, et munirent ad laudem praestantissimae artis, quam profitentur. Nam apud Graecos non pauci ante Aristotelem in id suam operam contulerunt, plures post Aristotelem, qui quum de aliis disciplinis egregie scripsit, tum de poetica, cujus vim et naturam philosophus doctissimus et ingeniosissimus acri mentis acie perspexit. Romae vero, ac tandem, ubi literae quasi ab interitu revocatae sunt post tetram illam immanium barbarorum importunitatem, in Italia, et in ceteris nationibus ad poetas instituendos alii certum ordinem praeceptorum tradiderunt, alii scriptis monumentisque mandarunt virorum eruditorum sententias et disputationes, quidam etiam praecepta illustrarunt, atque exornarunt versibus, et poetae ipsi magni quod docebant, perfecerunt. Qui quoniam fuerunt tam multi, tamque callidi et periti homines, et tam studiosi facultatis ju-

cundissimae et utilissimae, apparet, quo ea in pretio semper fuerit apud gentes humanitate excultas, simulque quantum illi dissenserint ab iis, qui poetas non praeceptionibus, et aliqua conformatione doctrinae, sed tantum ingenio, et quodam quasi instinctu valere judicarunt. Verum hujusmodi doctores et magistri quum impense adeo ac diligenter ea omnia persecuti fuerint, et commendaverint poetis, quumque innumerabilia de poetica arte, nonnunquam etiam ingentia emiserint volumina, raro nova afferendo, saepius repetendo vetera et pervulgata, quaedam taciti praeteriere, quae minime praetereunda, sed maxime potius inculcanda videntur. Quamvis enim utilia sint, et nonnulla etiam necessaria, quae fere praecipi, et monstrari consueverunt, tamen si recte judicare velimus, quid magis erat opportunum, quam poetas monere, et hortari, ut ad laudem, quam petunt, adjumenta quaererent etiam ab artibus elegantissimis, quae poeticae affines sunt, et praecipue a pictura, et sculptura? Haec ea sunt, quae quum reputarem, impulerunt me in eam mentem, ut rem, quam ii, quos minime decebat, reliquerunt in medio, quamque praeterea vix ulli attigerunt, vellem, si possem, oratione complecti. Vere igitur hoc mihi videor statuere posse, ac defendere, poetas multas et magnas utilitates esse percepturos, si in picturarum, et signorum excellentium observatione, et cognitione versentur. Sentio me, equidem sentio in difficilem dis-

putationem incidisse, quae multa requirat et flagitet ex antiquitate petita, multa ex artificum notitia, ex libris etiam multa poetarum, ac tandem ex ipsarum artium indole atque ingenio. Verum haec etsi me deterrent quodammodo a dicendo, tamen res ipsa minime vulgaris, et certe non indigna splendore hujus loci in spem adducit fore ut, quae attulero, vestris auribus non omnino molesta et injucunda accidant. Praesertim quum hic mihi sermo habendus sit in hac urbe, quae pictores, et sculptores tulit, et fovit valde probatos, atque harum artium ornamentis minime cedit aliis urbibus sane multis, dum aedium dignitate et magnificentia vel maximis fortasse et splendidissimis praestat.

Poeticae, picturae, sculpturae, sicuti ceteris etiam artibus, quae cum his in primis sunt conjunctae, hoc maxime est commune, ut naturam, quod unice spectant singulae et universae, imitando exprimant. Hanc porro ipsam naturam, quae summa certe omnia et praeclara in se continet, nihil tamen in simplici ullo genere plane absolutum, hanc, inquam, naturam artifices contemplati haud solent imitari qualem primum vident objici, sed majus quiddam moliti ad homines delectandos, et juvandos expolire quodammodo conantur, et numeris omnibus ac partibus explere. Quum enim hanc copiam rerum, quae undique nos circumstant, tam variam, tam divitem, tam profusam aspiciant, quumque praeterea, quae cerni nequeunt oculis,

mente percurrant, cogitateque considerent, excellentissima quaecumque deprehendunt hac illac dispersa et distributa, in unam speciem eximiae pulchritudinis conferunt. Itaque, dum nihil nisi a natura sumunt, informant id, quod natura sit ipsa praestantius: quibus omnibus, quod notum est, exemplo fuerunt insigni et celeberrimo Zeuxis, et Polycletus. Quam speciem intuiti, in eaque defixi, ad ejus similitudinem perfectam naturam student singuli exhibere, et eandem poetae versibus referunt, eandem coloribus pictores, eandem statuarii, aliique hujus generis opifices marmore, ebore, aere, ceteris, quibus velint sua quique in arte commendari. Ita se habent, et hac re una inter se differunt artes tres imitatrices, iisdem, ut perspicitis, ab initiis profectae, iisdem copiis altae atque auctae, proposito, et instituto suo simillimae et pares. Una prope omnibus ratio in inveniendo, in collocando paene una, una etiam saepe in ornando: earundem fere rerum apparatu instructi esse debent, qui illis, ut par est, animum adjungunt, eadem praediti judicii, et solertiae vi, iisdem celeris ingenii motibus, et quum omnes peraeque communi quasi in regno nullis certis finibus jus suum circumscribant secuti similia veris, simul liberiori fruuntur fingendi, audendique licentia, simul agitatione animorum, et divino quasi furore inflammantur, valent in primis simul natura, nec tam fiunt artifices, quam nascuntur. Quare hi summa inter se neces-

situdine, et quasi cognatione devincti semper habiti sunt: artes vero ipsae sorores dictae, et a Simonide poesis pictura loquens, pictura (licebat et sculpturam addere) poesis tacens nominata (1). Videtis jam nunc quae et quanta commoda poetis ex operum studio praestantissimorum, quae pictores, et sculptores perfecerint, proposita sint atque parata? Si enim consentiunt artes hae tres, et conspirant conjunctione ista tam certa, tam necessaria, magna etiam tanquam officiorum, et utilitatum communione sibi praesto esse possint necesse est, et idcirco qui uni harum ipsarum artium dant operam, queant duarum etiam aliarum quasi opibus affluere et abundare. Ac primum quidem poetae ita in id studium, ad quod se contulerunt, incumbunt, ut poetarum, qui antea floruerint, imitationi se se dedant, sine qua jure arbitrantur nullo se modo posse in aliquem numerum pervenire. At si tanta est poetarum, pictorumque, et sculptorum similitudo, anne multum proficient, quum legent illorum carmina, minime vero cum horum artificia cognoscent? Si ex tribus iis, quibus artes praecipue constant, duo; invenire primum pulcra atque admirabilia, eadem deinde aptis idoneisque locis disponere, in quorum altero ingenium elucet, in altero consilium, et sapientia, ad poetas, ad pictores, ad sculptores aeque pertinent; cur non ad duo haec obtinenda plurimum juverit pictoribus ipsis quoque, et sculptoribus tanquam ducibus et magistris

uti? Quid tandem? Si hoc, quod tertium est, ut nimirum inventa, et distributa verbis efferat, et versibus, unice proprium est poeticae; quid ni qui poemata scribere statuerunt, ubi a poetis elegantiam, ubertatemque sermonis acceperint, et illam oris magna sonantis granditatem, ubi modorum praeterea, et carminum rationem didicerint, poetas adeant, et pictores, et sculptores, et cum omnibus identidem simili cum utilitatis fructu commorentur? Num desunt artifices, qui isto summo ingenio sint revera, et industria ista singulari? Num artificia ipsa praeclara desiderantur? Advertite animum, quicumque estis, poetae, et ipsam primum antiquitatem recognoscite. Statuas, et signa Deorum, hominum, animalium ecce ea vobis ex marmore, et ex metallis objicit, pocula, pateras, vasa, mensas, candelabra, aras, sepulcra; arcus etiam, atque columnas, gemmas, nummos, picturas. Quid hic aut sculptum, aut fusum, aut caelatum, aut alia aliqua ratione effictum non potest reperiri, quod pulcrum et praestans sit, ac summorum poetarum ingenio, et elegantia dignum? Cernite Laocoontem divinum opus, quo nulla tragoedia magis tragica, Agesandri, Polydori, Athenodori, cum duobus pueris vinctum sauciatumque serpentibus, obnitentemque contra, et prodentem mirabiliter virilis decorem formae, horrificum acerbissimumque artuum, nervorum, venarum omnium dolorem, pietatem in filios, caritatem in patriam, securitatem, innocen-

tiam, fortitudinem celsissimi animi. Videte Herculem Glyconis torosis magnum lacertis, et cervicibus post dura pericula incumbentem clavae, ut appareat quantum defesso haustum laboris sit, quantum supersit virium ad nova facinora. Intuemini Gladiatorem, sive militem Hagasiae injicientem se se vehementissimo impetu, atque ardore pugnae, intentantemque ictum, et se tutantem ab hoste brachio protento. Quae Capitolina Venus exemplum Veneris Cnidiae Praxitelis! Quae altera Cleomenis, cujus incredibilis pulcritudo quadam etiam commendatur suavitate pudoris! Quae Niobe, quae dormiens Nympha, quae Juno, quae Pallas, quae Flora, qui Jupiter, qui Antinous, Mercuriusve, quae, ut innumera alia omittam, marmorea signa ex Parthenone vel Phidiae manu, vel e Phidiae disciplina! Quorum quum tanta sit multitudo, et varietas, quot res egregiae inventae, quot species venustae, splendidae, sublimes, mirae ab accurato sapientique poeta arripi inde possunt, et in versus inferri? Atque haec quidem omnia, quae iis, qui hujusmodi studiis sunt imbuti, nota plane sunt et explorata, ex una, ut dixi, antiquitate. Quid recentiora? Quae nova rerum quasi seges ante oculos? Quid vultis? Quid quaeritis? An vos mirabile illud et elatum delectat, ad quod epica praecipue carmina pertinent, et lyrica? Duces, et milites, et praelia celebratissimis sermone omnium tabulis vobis subjiciunt Brunus, et Borgugno; navales pu-

gnas, oppida capta, ingentia discrimina, et miracula Tintorettus et junior Palma; aulas, templa, res divinas, concursus, magnificentissimos apparatus Rubens, et Paulus. An vero tragoediarum granditas, et gravis ille spiritus potius juvat? Bonarotius, et Julius Romanus majestate rerum capiunt, et terribili casuum atrocitate. An molle tandem placet, gregibusque aptum, et pastoribus? Nemorum umbris, viriditate riparum, fontium nitore, ac prope sonitu ita alliciunt Lorenensis, Pussinus, Titianus, ut non sit quodammodo quod Theocriti silvas, atque otia requiratis. Ipsi comici, et satyrici nihil non invenient, si ad civilis vitae consuetudinem libeat descendere, in quo pictores Belgici multi, atque etiam Itali, Teupolus in primis, et Longius, leporem, et jucundam urbanitatem non ostendant. Neque vero uno tantum in genere claruerunt, sed, quo erant ingenio magno et multiplici, plura hi, et alii in genere quolibet eximia arte ediderunt. Nihil Bassanus ad naturae veritatem non adductum, nihil non doctum et rectum Vincius, nihil Georgius non plane vivum, nihil non plenum venustatis Corregius, nihil Raphael non divinum. Quid ego nunc Parmensis, Annibalis, Guidi, Albanii, Guercini, Zampierii, Schidonis tabulas; quid signa commemorem Donati, Victoriae, Sansovini, Bononiae, atque illius tandem, qui prope noster sculptor idem, et pictor ad Graecorum gloriam accessit, Antonii Canovae? Comprehendam brevi, et dicam

vere: quaecumque pictores, et sculptores post Graecos protulerint, neminem mortalium omnia persequi posse, vix aliquem insignia attingere, aut numerare. Quid ergo? Si tam multa ista sunt, et tam varia sive recentiori opere, sive vetusto, si perfecta ab artificibus ingeniosissimis, et multo maximis, si omnium poematum generi apta et convenientia, si absolutissima per se, et imitatione dignissima; quid erit causae, cur a poetis nostris non inspiciantur, et cognoscantur diligentissime? Si quis magnorum poetarum vel Graecorum, vel Latinorum, quos aut vetustas jam olim, aut barbaria nobis invidit, atque abstulit, alicubi e tenebris subito excitaretur, quo gaudio poetae nostrae aetatis gratularentur sibi fortunam suam, qua cupiditate hunc perlegerent, quo studio imitarentur? Ego vero cum pictores, et sculptores, et novos, et veteres illis ostendo, nonne videor non poetam unum quidem aliquem, sed plurimos poetas addere, qui possint vel cum primis quibuscumque contendere? Quid si hi pictores, et sculptores non solum aequent saepe poetas operum excellentia, sed omnino eosdem nonnunquam antecedant? Cupide legimus quae de Iphigenia ante aram stante referuntur in Euripidis tragoedia; at Graeci haec eadem cupidius inspexerunt in tabula Timanthis. Philoctetes valde nos tangit apud Sophoclem; sed qualis erat abdita illa lacrima, quae suberat siccis oculis hominis calamitosissimi, et qualis intimus

ille angor, quem pinxerat Parrhasius (2)? Apelles penicillo suo Homerum ipsum describentem Dianam inter Nymphas visus est vicisse (3). Sed quid ego haec? Agite, Ovidium sumite in manus, et poema, quo mutatae dicuntur formae, pervolvite. Legitis ibidem Apollinem nunquam antea armis usum nisi adversus damas capreasque fugaces, immissis mille telis, exhausta paene pharetra, interfecisse Pythonem, et ludos, ne operis memoriam tanti vetustas deleret, instituisse (4). Haec vero ubi legeritis ex Ovidio, et Apollinem hunc perspexeritis, ad Apollinem Vaticanum e marmore vos convertite. Formosissimus illa pulcritudine, qua nulla major oculis se obtulit mortalium, illa venusta majestate proceri corporis laeti florente juventa, ore illo, et capite prorsus caelesti atque divino collecta super in nodum mollissima coma, vix flexo laxatoque arcu serpentem cernitur prostrasse, et immissa ab humeris in brachium chlamyde, et suspensa pharetra ad tergum plena sagittarum, spectans remota, oculis, vultu, incessu declarat majora agitare animo, et quodam quasi contemptu laudem tam imparis certaminis repudiare (5). Quid est? quid vobis videtur per fidem vestram? quis aptius et dignius vobis proposuit Apollinem? Ovidius, anne sculptor quisquis ille fuit? Quanquam quid Ovidium dico? Quis unquam poetarum Pythium Apollinem exhibuit carminibus, ut possit cum signo hoc pulcherrimo et praeclarissimo compara-

ri? Nolo hoc loco dicere quidquam de Rhodiorum opificum Laocoonte, quem nominavi, et de altero Virgilii, quem bene nostis, de quibus gravissima sunt, et jam perspecta eruditissimorum virorum judicia. Nolo Apollonii Rhodii, et Valerii Flacci Polluci, Hylae Theocriti, et Propertii, Manilii, et ipsius Ovidii Andromedae, atque adeo Olympiae Areosti statuas, anaglypta, tabulas, quod perfacile esset, opponere. At quod tacere non possum, quis Hesiodi, et Claudiani Gigantibus non praetulerit Gigantes, qui sunt a Julio Romano apud Mantuam mirifice picti? Quid vultis amplius? Novimus poetas summos, quum Jovem Homeri nutu concutientem Olympum imitari, et aemulari voluissent, vires defecisse. Phidiam item perfecisse scimus quod poetae frustra sunt conati. At vero quum pictum ab Urbinate intuemur interminata in se se undique intendentis spatii immensitate Creatorem Deum illo obtutu, gestuque impendentem, majestate illa vultus, atque comae, attingentem altera manu solem, lunam altera, micantibus circum stellis, ita oculos percutit animumque Numinis magnitudo, ut ipse videatur Homerus leviora de Divinitate cogitasse. Nec profecto mirum sit, si Annibal Caraccius Raphaelem poetarum maximum judicarit. Quae quum ita sint, quis non etiam hoc ultro concedat, poetas opera pictorum, et sculptorum potius, quam poetarum libros cognoscere, et imitari debere, si ea sint ali-

quando meliora? Sane pictores, sculptoresque solent diligenter et studiose legere poetarum libros, in quibus nimirum intelligunt multum sibi esse praesidii, et adjumenti constitutum. Cur igitur jure pari non utantur poetae, et quos juvant, ab iis juvari velint paratis munere quam simillimo gratiam referre? Atque in poetarum quidem imitatione illud est incommodi, aut certe periculi, ut poetae, quod multi admiserunt, non tam imitari, quam surripere aliena videantur. In pictoribus vero, et sculptoribus imitandis, nihil tale timeri potest; nihil hic servile, nihil non generosum; unde non versus, non figurae, non verba, sed res petuntur, quae tanquam de plenissimo et refertissimo thesauro suppeditatae alunt etiam ingenia ad fecunditatem, et ornant ea eruditionis, et doctrinae copia, qua nulla major et exquisitior ex ipsis poetarum libris hauriri possit. Vix enim quidquam licet excogitare, quod non tentatum, tractatumque sit cumulate, imo vero versatum saepius, et agitatum omnibus modis a pictoribus, et sculptoribus, qui ipsius naturae magnitudinem varietatemque auxerunt quodammodo, et amplificarunt. Illi populorum res gestas, illi fictas poetarum, illi casus laetos, tristesque fortunae, facta memorabilia, mores, ritus, religiones, virtutes, vitia, motus omnes animorum, terram, mare, caelum, supera, infera multiplici operum perfectione expressa sistunt in conspectu, et aspicientibus ad cognoscendum pro-

ponunt. Equidem poetas Graecos magnifico abundantes ingenio, instructos atque ornatos elegantibus exquisitisque doctrinis, et gloriae amore incredibiliter incensos cum mecum cogito, haud miror ea scripsisse, quae tam amplis omnium laudibus efferuntur. Verum quum eos in Graecia poemata fecisse illa animadverto, quum in Graecis urbibus assidue versatos considero, non dubito, pictorum, et sculptorum opera ad illam tantam praestantiam multum contulisse. Non enim poterant poetae iis mentem non imbuere, et augere quae maxime conveniebant cum eorum indole, atque arte, quaeque occurrebant quocumque illi oculos injecissent. Porticus, templa, curiae, theatra, domus, fora, viae, stadia, portus, nemus illud Elidis, aedesque Olympii Jovis, decorabantur figuris, ostendebantque undique civibus, et advenis, atque adeo poetis quidquid eximium et divinum effici potuit in iis artibus, quibus magnum et splendidum nomen sibi paravit ea gens, quae gentibus omnibus omnium rerum excellentium et admirabilium laude praestitit. O Graecia! o magna olim parens, et altrix honestissimarum artium, atque virtutum! O Graecia, quam ego te aspicio! Haeccine est illa terra, in qua pictores, statuarii, opifices tales et tanti spirantia simulacra ponebant, poetae clarissimi edebant cantus carminum divinorum, eloquentissimi oratores inflammabant dicendo judices populumque, et armatis metum regibus inferebant,

historiae patres scriptis tradebant immortalibus res gestas, jura describebant sapientissimi institutores, et conservatores civitatum, duces militesque fortissimi in patria servata statuebant tropaea, exercitibus immensis nationum potentissimarum fugatis atque deletis! Sicyon, Corinthus, Lacedaemon, urbes ceterae ingeniis hominum, liberalibus studiis, ludis, commerciis, atque opibus florentissimae, dirutae atque eversae conciderunt, et vix reliquiae exiguae Athenarum, Piraeeique, atque Arcis, ubi mira illa stetit Minerva, testantur veterem magnificentiam, et gloriam; jacent sine honore deserta loca Lycei, et Academiae, Marathon, Salamina, Artemisium, Plataeae, Thermopylae; ipsa fere exaruerunt in devios cursus deflexa, et dispersa flumina nobilissima, moerere videntur campi, orae, montes celeberrimi, in quibus dicebantur habitare Musae, et in quos unos barbari satis furere, et debacchari non potuerunt. Sed tamen inter ruinas illas verendas simul et miserandas, sub illa tellure sine dubio non pauca, quamvis tam multa pluries erepta inde, et indigne atque impie corrupta et consumpta fuerint, latent adhuc egregia opera Myronis fortasse, Phidiae, Polycleti, Scopae, Pythagorae, Praxitelis, quae si erunt aliquando eruta, quam admirationem doctorum hominum, quam artificum, quam etiam poetarum non commovebunt? Certe poetas veteres Graecos, ut ad hos revertar, pulcherrima artificia ad se converte-

runt, et pertraxerunt, eorumdemque ingenia non solum locupletiora reddiderunt et fecundiora, sed etiam ad recte sentiendi, et intelligendi prudentiam acuerunt, et formarunt. Haec enim duo conjuncta sunt inter se, nec distrahi, ac divelli ullo modo possunt. Nam qui aspicere, et cognoscere solent quae excellenti sunt praedita pulcritudine, eorum aspectu, et cognitione id necessario assequuntur, ut simul excellenti pulcritudini cognoscendae, gustandae, judicandae assuescant. Hinc maxime sensus integer et exquisitus poetis, hinc judicium acre et certum, hinc sapiens elegantia, quae non tantum in literas, et disciplinas, sed in totius quoque vitae cultum, et rationem dimanat. Mirabilis est enim et incredibilis harum artium vis ad homines excolendos, et quasi fingendos ad omnem humanitatem, nec sine magna causa cautum fuit apud Graecos, ut ingenui quique pueri picturae praeceptis instituerentur, in quibus ipsius etiam sculpturae, et aliarum hujusmodi artium fundamenta sunt collocata (6). Quid? Apta illa in figuris compositio membrorum, illa in corporum statu, aut motu dignitas, decori vestium ornatus, sinusque apte vel fluentes, vel collecti, harmonia colorum, verus tandem delectus rerum, modusque, et idonea earumdem, et jucunda dispositio, virtusque, et venus ordinis quanti esse debent, ut poetae quum his saepius oculos, animumque adhibuerint, non solum pulcra inveniant, sed illa etiam

suis locis, momentisque dispensent, idque efficiant, quod varium sit, simulque unum, quod deceat, quod placeat! Cujus ordinis, et decoris similitudo si ab oculis transferatur ad animum, facilius et melius in eo informabitur effigies ipsa, et imago illius pulcritudinis, quae aspectu non sentitur, et quam tamen sibi proponit, et conatur exprimere poetica, honestatis scilicet, virtutis, sapientiae. Valet quidem multum ad haec omnia, (quis inficiabitur?) praeter praecepta, poetarum studium, sed non minus, addam etiam magis plerumque, hoc tabularum, et signorum. Nam haec non auribus, ut poemata, sed oculis, quorum sensus est acerrimus et efficacissimus, cognoscuntur. Quod quidem ipsum quanti sit, quo pertineat, quamque late pateat, diligenter attendite. Poeticae laus summa in hoc est sita, ut quodcumque propositum est referre, ita referat per verba, per figuras, per numeros, ut non tam id narrari, et audiri, quam apparere, et cerni videatur. Quod eo tandem redit, ut poesis in rebus exhibendis tunc praestet maxime, quum maxime ad picturam, et sculpturam accedit. Quamobrem ita laudari solent, quae in poetis vel optimis hoc in genere sunt probatissima, ut sub aspectum venire, ut plane subjici oculis, ut veris vividisque coloribus exprimi, ut tandem picturae esse dicantur. Igitur Cicero Homerum commendans, *ejus*, inquit, *picturam, non poesim videmus* (7); et Petrarcha eundem poetam dicit rerum vetustarum

pictorem principem (8). Quae si ita se se habent, quaero ex vobis, utrum ad hanc laudem tabulas, et signa plus conferre judicetis, an carmina ipsa, et poemata? Enimvero res, si sumantur a picturis, et signis, valdius percutient poetae scribentis mentem imaginibus acribus et insignitis, quam si hauriantur e libris, et quum aspicientur revera, facilius inducentur in poemata, ut in iis quoque aspiciantur quodammodo. Jam vero poetica verbis, et versibus alia post alia subjicit progressione temporis, et perpetuitate sermonis, atque idcirco quaecumque placitum et libitum est, narrat atque inculcat nullis certis finibus circumscripta; in quo praestat picturae, et sculpturae. Contra vero pictura, et sculptura necessariis angustiis inclusae rem totam, quanta est, quaecumque agitur, brevi in spatio, et temporis momento uno atque unico ante oculos statuunt. Sed quale hoc est spatium, et hoc momentum temporis! Pictura, quod negatum poeticae, non modo multa tempore eodem, sed prope innumerabilia et infinita aliquando objicit, quae tanquam collecta in unum ut incurrunt in oculos, ita per eos ob hanc etiam causam in animum ingeruntur incitatius. Certe quum editum Virginis partu Christum, delatumque in praesepe, et foeno impositum inter animalia canit Sannazarius, quae inciderunt in noctem illam mysteriorum plenam, sententiarum copia, et verborum ornatu, ac splendore ita persequitur, ut eos, qui legunt, elegans,

et magni spiritus poeta summopere capiat, atque delectet. Verum si quis, ubi quadringentos versus percurrerit, quibus haec vix a Sannazario sunt exposita, et eos multum probaverit, ad tabulam illam accedat longe nobilissimam, in quam noctem hanc ipsam contulit Corregius, si in media tenebrarum obscuritate nati Numinis lucem emicantem e vultu, et e corpore, circumque omnia, supraque illustrantem aspiciat, si Matrem, si Matris Virum adplicantem asellum, et propinquantes cum bove adolescentes binos, si admirantes, laetantesque pastores, si puellam cum donis curiosius intuentem, et jam paene obrutam fulgore, opponentemque oculis manum, si caelestes juvenes pulcherrimos agitantes gaudia super nubem, si auroram etiam remota in regione prodeuntem rubore primo, si alia quaeque aspectu prope uno percipiat tam singulari luminum, et umbrarum discrimine, tam suavi concentu colorum, tam incredibili venustate perfecta, quanto se jucundius, et vehementius sentiet commoveri! Picturae vero in hac re non multum cedit sculptura, quae plures statuas non raro conjungit, utiturque toreumatis, et emblematis, quaeque vel uno in simulacro multa indicat, et plura etiam saepe ad intelligendum relinquit. Quamobrem poetae, quos spectat oratio mea, quum his multum diligenterque institerint, rerum magnarum consuetudine plurima ipsi quoque agitare simul discent, et conjungere, atque id-

circo copiosius, et ornatius, et animosius, et majori tandem cum sensu efferre. Praesertim quum animi motus, ad quos ut maxime accommodata est poesis, ita potissimum placet omnibus, semper placitura, magni artifices indiderint mutis imaginibus, in quibus dolor, laetitia, spes, metus, amor, odium vultu, oculis, habitu totius corporis praecipua quadam significatione declarantur. In quo quum tantopere praestiterint apud Graecos Aristides, Lysippus, Timomachus, apud nostros vero, quem toties dixi, Raphael in primis, nihil est quod admiremur, scripsisse Quintilianum picturae tacens opus, et habitus semper ejusdem penetrare intimos affectus, et superare nonnunquam eloquentiam ipsam videri (9). Quae quum memorantur a me, jam vos intelligitis, illud etiam consequi, quod est multo maximum, ut haec signa, et hae picturae spiritum in poetis illum excitent, et furorem, sine quo neminem poetam bonum posse exsistere Graeci quidam philosophi tradiderunt. Si enim contingit, ut summorum poetarum carmina quum leguntur, legentium mentes, si nati ad haec studia sint, concitentur, quasi vim aliquam divini afflatus inde conceperint, quanto magis id eveniet, quum non leguntur, sed cernuntur ea quae valde permovent, impelluntque insignia, eminentia, luminibus, et coloribus illustrata? Quis aut D. Petrum Martyrem, quo Venetiis ablato, tantum doloris hausimus, tantum laetitiae restituto, aut Tinto-

retti surgentes die novissimo mortuos, suppliciive Christi in loco Calvariae scenam tristissimam, aut Corregii D. Hieronymum, aut Bonarotii Judicium, aut Raphaelis, Juliique Constantini Pugnam, et Maxentii, aut, ne plura consecter, Religionem, et Pietatem Canovae spectet, quin erigatur animo, et quibusdam motibus agitetur? Cur igitur poetae, quibus ingenium tam experrectum est, tamque facile, et paratum ad amabilem quamdam insaniam, non afflari debeant ista quum videant, et attendant sive ut imitentur, sive etiam, quod facere aptissime poterunt, ut versibus describant, aut celebrent, atque ornent? Quod enim tanquam cumulus accedit, statuae, et tabulae, et quaecumque a pictoribus, et sculptoribus elaborata fuerunt egregio artificio, sunt hujusmodi, ut materiam quoque subjiciant ad scribendum, et carminum argumenta pulcherrimorum evadant. Quam novus hic quasi campus, quam patens, quam immensus, in quo poetae facile excurrere possint, et magna cum ingenii laude exerceri! Quae ex omni antiquitate esse dixi multitudine, et varietate prope infinita, quae sunt etiam plura, quam quisquam dicere possit, ex qualibet deinde aetate artificum aut Italorum, aut exterorum praeclari operis, ea ad hanc etiam rem poetis in medio sunt posita. Ac si poetae consueverunt naturam inspicere, ut eam perficiant, et absolvant imitando, hic profecto queunt alteram quasi naturam perfectam et absolutam in omnem

pulcritudinem contemplari. Age. Si quis Vaticanas aedes ab ipso Raphaele picturis locupletatas ingressus D. Petrum vinctum catenis inter satellites in horrore carceris, atque noctis, juxtaque circumfusum Angelum splendidissima luce, excitantem, sopitum somno, et urgentem jussis describeret bonis versibus, si militum praeterea aut dormientium statum, aut stuporem expergefacientium jam se, aut accurrentium, et trepidantium miros vultus, gestusque, facem, lunam, arma micantia repercusso lumine, ipsum denique Petrum egredientem, incertumque, ac se minime agnoscenti similem apte repraesentaret, quam varium carmen conficeret, quam animosum, quam magnificum! Quid si referret Heliodorum in templo prostratum divino impetu atque furore? Quid si Parnassum redderet insignem virentium silva laurorum, Musasque, et Poetas? Quid si admirabilem architecturae specie, praesentia, atque studiis Philosophorum ex singulis familiis, figurarum pulcritudine, et veritate, moribus, affectibus, Scholam, quam vocant, Athenarum, aut ejusdem pictoris Christum divinitatis imaginem ostendentem in monte poeticis numeris, et coloribus aemularetur? Equidem non dubito, quin carmina, quibus haec comprehendantur, et alia aliorum artificum his similia, majorem voluptatem sint allatura, quam ea, quae scribuntur a poetis non quidem istis malis, qui tot sunt, aut mediocribus, sed iis quoque, qui

judicio probantur doctorum, atque sapientium. Praecipue quum ea pictores, et sculptores operibus saepe referant, quae e media sunt Religione deprompta, atque adeo augustiora sunt, et majestatis suae plena. Quam libenter Lucianum legimus pingentem verbis aut Centauros ex Zeuxidis tabula, aut ex altera Aëtionis Roxanes Nuptias, et Alexandri, aut ex illa tam celebri Apellis Calumniam? Quantum delectant quum de praestantibus artificiis verba faciunt et Plinius, et Pausanias, et Aelianus, et Philostrati, et, nostros etiam ut attingam, Vasarius, et Ridolphius? Atqui omnia hi complexi sunt oratione nullis versibus adstricta. Quid si aptior numerorum concentus accedat, et sermo, qui proprius est poetarum illustrior et ornatior? Quod sane perspexerunt poetae Graeci, quos artes has studiose cognovisse jam adfirmavi, idque re, et successu comprobarunt. Quam venustos illi versus, in laudatissimas tabulas, et statuas, quam sublimes, quam sensus plenos condiderunt! Quos Simonides de Praxitelis Cupidine, et de Baccha Scopae! Quos de Argiva Junone Polycleti Parmenio! Quos de Phidiae Jove Philippus Thessalonicensis! Quos Asclepiades de Alexandro Lysippi! Cui non perlecta illa Leonidae Tarentini, Juliani Aegyptii, Antipatri Sidonii, Demetrii, Antiphili, Archiae, Anacreontis, aliorum aut in Bovem Myronis, aut in Medeam Timomachi, aut in Cnidiam Venerem, aut in Coam emergentem e mari? Jam Helenam

quam Crotoniatis pinxerat Zeuxis, adeo carminibus scimus fuisse celebratam, ut, quemadmodum ait M. Cicero, Virginum ipsarum, quas ille inspexerat quum pingeret, nomina multi poetae memoriae prodiderint. Illi, illi, quorum primaria sunt poemata, sin minus tabulas, et signa descripserunt pictorum, et sculptorum, certe finxerunt sibi quas referrent, res pictas parietibus, atque vestibus, caelatas autem valvis, vasis, clypeis, atque adeo Virgilius picturas prosecutus est veluti Carthagine positas ea aetate, qua nullae fuisse picturae judicantur. Quod post Graecos, et Latinos quum Itali fecerint et Torquatus Tassus in primis, et Ludovicus Areostus, quum praeterea versus scripserint in statuas, et in tabulas magnorum pictorum, quos suspiciebant summopere, et amicitia, benevolentiaque complectebantur, Bembus, Castilio, Casa, Sannazarius, Politianus, Sadoletus, Lastesius, Franciscus ipse Petrarcha nonnunquam, quid amplius voce contendam, ut ad harum rerum cognitionem poetas nostros adhuc horter, atque incendam? Ad id impellit natura una artium trium, et unum idemque earumdem propositum; impellit par ingenium, ac studium artificum; impellunt demum artificia pictorum, et sculptorum imitanda poetis cujusque generis, infinita numero, insignia excellentia, et nobilitate sua. Quid haec non efficiunt? Ab his rerum pulcherrimarum copia, et jucunda, et multiplex eruditio, ab his fecundior mens, ve-

rior pulcri sensus, judicium subtilius, animus affectuum motibus concitatior, acrior divini instinctus quasi furoris. Quis nolit ditari opibus tantis? Quis aut utilitate sua illectus cupidius haec non appetat, aut magnorum exemplo adductus poetarum? Praesertim quum horum omnium quae cognoscenda sunt, parabilis sit, perfacilisque prudentia. Ubicumque enim sint terrarum signa aerea, aut marmorea, sumi ex his exempla solent, et formis gypso, aut argilla effictis inferri quascumque in regiones, et in urbibus, et in aedibus ad ornamentum, et spectaculum collocari. Haec vero eadem, et ipsae in primis picturae, et alia hoc de genere omnia describi summa fide, et incidi in aes, et imprimi, atque ita edi, et pervulgari, ut in oppido quolibet satis exculto fortasse non difficilius haec possint, quam ipsi poetarum libri cognosci. Mihi interim satis fuerit, dum id conatus sum afferre in hunc locum, quod ab aliis fortasse praeteritum fuit, poeticae rationibus, et poetarum utilitati consulere voluisse. Vehementer vero laetabor, si id praecipi aliquando intelligam, et vere perfici, ut ita tandem arctius jungantur inter se eae artes, in quibus Italiae gloria sita est solida et illustris; ea, inquam, gloria, quam neque longinqui temporis oblivio, neque bellorum furor, hostiumque rapinae, neque ullus casus, ut cetera nobis eripiant, aut auferre, aut imminuere unquam poterunt.